



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Innocentio XI. Ad Innocentium XII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

46. Ubi primum humilitatem &c. Jubileum Universale ad implorandam
Divinam opem pro Pace inter Principes Christianos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74849)

Juramen-
tum præ-
standum
ante usum
Notariatus

Facultas
testandi,
& transfe-
rendi non
suffragatur
ei qui alias
fuit Cap-
pellanus.

Dat. 4. Dec.
1693. P. A.
3.

gnitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus ubique fides, tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ præsentibus adhibetur, & adhiberi posset, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§. 12. Quodque prædicti antequam gratiâ creationis in Notarios perfrui valeant, in manibus aliqujus personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ, professionem fidei juxta articulos pridem à Sede prædicta propositos emitte, & solitum fidelitatis juramentum omnino præstare teneantur, & quilibet iporum teneatur.

§. 13. Cæterum volumus pariter, atque decernimus, ut si cui ex supradictis Cappellanis similes testandi de bonis, ac pensiones transferendi facultates ab aliquo Romano Pontifice Prædecessorum nostrorum, cui simile Cappellani ministerium præstiterint, concessæ fuerint, præsentibus literæ illi quoad facultates testandi de bonis, & transferendi pensiones hujusmodi minime suffragentur.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Anulo Piscatoris die quarta Decembris 1693. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Loço ✠ Annulli Piscatoris.

J. F. Card. Albanus.

Jubileum Universale ad implorandam Divinam opem pro Pace inter Principes Christianos.

XLVI.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem.

Narrantur
Sanctitatis
Suz cona-
tus ad pro-
curandam
pacem in-
ter Prin-
cipes Chri-
stianos.

Ubi primum humilitatem nostram ad supremi Apostolatus fastigium evocavit Altissimus, cum universam planè Christianam Rempubliam longè, latèque sævientium bellorum procellis agitari videremus, nihil Pastoralis officio, quo immerentes fungimur, antiquius fuit, quam ut Catholicos Principes diuturnis, & acerbissimis diffidiis inter se decertantes in pristina charitatis compagem restituere studeremus. Cujus enim vel ferreum pectus non commovissent tot Populorum cædes, Urbium incendia, Provinciarum strages, excidia Regnorum? Quis ad tot, tantasque fidei Populo, absque ullo sacrarum, ac prophanarum rerum discrimine, illatas calamitates, non exhorruisset? Aut quomodo Pontificia Nostra sollicitudo, quæ ad opponendum Nos tanquam murum pro Domo Dei jugiter tenemur, ad innumera inde exorta, & sane gravissima Orthodoxæ Religionis detrimenta non exarississet? Hinc majori, quæ potuimus, paternæ charitatis contentione, atque operâ, quæ precibus apud Deum, cujus præstabilem super hominum malicia bonitatem invocare non cessavimus, quæ officiis apud Principes, quos ad salubria pacis consilia enixe cohortari, atque ad prælianda bella Domini, ipsismet, quibus intrer se digladiantur, armis, adversus communem, & teterum Christiani nominis Hostem excitare, atque urgere curavimus, publicæ Christiani Orbis causæ hætenus non defuimus, nec adesse in posterum desinemus. Cum tamen studia hæc nostra optato, quam sperabamus, fructu adhuc vacua videamus, cum Propheta ingemiscere compellimur: Expectavimus pacem, & non est bonum, tempus medelæ, & ecce formido, tempus curationis, & ecce turbatio. Quocumque enim pro Apostolici muneris nostri debito animum, curasque convertimus, ita sunt omnia vel multiplicatis belli cladibus attrita, vel gliscientibus in dies discordiis prona in ruinam, ut spectaculum oculis no-

stris exhibeant semper luctuosius. Florentissimæ nuper Europæ Provinciæ misere nunc gementes inter præsentium æumnarum sensum, & mertum futurarum; atque, ut cum ejusdem Prophetæ verbis loquamur: Si egressus fuero ad agros, ecce occisi gladio: & si introiero in Civitatem, ecce attenuati fame. Verum quis dedit in direptionem Jacob, & Israel vastantibus? Nonne Dominus ipse, cui peccavimus? Ipse profecto, quia nolimus in viis ejus ambulare, & non audivimus legem ejus, effudit super Nos indignationem furoris sui, & forte bellum. Accedamus igitur cum fiducia ad sacram Misericordiarum Domini aram, & expiatis per veram penitentiam peccatis, cœlestem iram placare, auctisque per jejuniorum labores, & elemosynarum largitiones viribus orationis, divinam opem in his urgentissimis Ecclesiæ, ac Rei publicæ necessitatibus unanimiter implorare conitiamur: ut ineffabilis Dei benignitas cordium contritorum holocausta in odorem suavitatis accipiens, quietem Populis, ac Regibus, & Principibus Christianis arctam, & indissolubilem animorum concordiam, pacemque Catholicæ fidei conjunctis viribus, & consiliis tuendæ, & propagandæ zelum largiri dignetur. Advenerunt jam Dominici Adventus dies acceptabiles, dies salutis, qui sicuti Nos ad impensius orandum, ita Divinam Clementiam ad liberalius indulgendum invitant, & spem certam faciunt consequendi veram illis, & cœlestem pacem, sine qua nequit ea ipsa, quam Nos afflictis rebus opem laturos incessanter inquirimus, pax humana consistere.

§. 1. Hæc autem, ut ferventiori spiritus ardore, majorique fructu peragantur, ex prisco Romanæ Ecclesiæ omnium Matris, & Magistræ more cœlestium munerum Thesaurus, quorum dispensationem fidei Nostræ commisit Divina dignatio, aperite, & larga manu erogare decrevimus. Itaque de Omnipotentis Dei Misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa ligandi, atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus, licet indignis, contulit, universis, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus in Alma Urbe nostra degentibus, qui solemnem Processioni, quam feriâ quintâ currentis Hebdomadæ ab Ecclesiâ Sanctæ Mariæ Angelorum in Thermis ad Basilicam ejusdem Sanctæ Mariæ Majoris nuncupatis de eadem Urbe, una cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, necnon Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, quos in Romana Curia adesse contigerit, ac Christianorum Regum, & Principum Oratoribus apud Nos existentibus, Prælati quoque, & Officialibus ejusdem Curie, universoque Clero, & Populo, benedicente Domino, agemus, devotè interfuerint, vel Sancti Joannis in Laterano, Principis Apostolorum, & Sanctæ Mariæ Majoris Ecclesias, seu Basilicas, vel earum aliquam intrâ spatium ejusdem vel proximè subsequenti Hebdomadæ saltem semel visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium devotè, ut supra, Deum oraverint, ac quartâ, & sextâ feriâ, ac Sabbato alterius ex præfatis hebdomadis jejunaverint, & peccata sua confessi, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Dominica die immediatè sequenti, vel alia die intrâ eandem hebdomadam reverenter sumpserint, ac pauperibus aliquam elemosynam, prout unicuique suggeret devotio, erogaverint.

§. 2. Cæteris verò extra Urbem prædictam ubicumque degentibus, qui Ecclesias ab Ordinariis Locorum, vel eorum Vicariis, seu Officialibus, aut de eorum mandato, & ipsis deficientibus, per eos qui ibi curam Animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hæc Nostræ pervenerint, designandas, vel Ecclesiarum hujusmodi aliquam spatio duarum similiter hebdomadarum à publicatione designationis per Ordinarios, vel eorum Vicarios, seu Officiales,

Spem frustratam recognoscit ab indignatione divina propter peccata: Ac propterea emittendum divinam iram placare.

Ideo indicit Jubileum Universale

Adimplenda in Urbe ad id consequendum.

Adimplenda extra Urbem.

vel

vel alios, ut præfetur, faciendæ decursurarum saltem semel visitaverint, ibique ut supra oraverint, ac quartâ, & sextâ feriâ, ac Sabbato alterius ex hebdomadis hujusmodi jejnaverint, pariterque peccata sua confessi, ac in die Dominica immediatè sequenti, vel alia die intra eandem hebdomadam Sanctissima Communione refecti fuerint, & pauperibus aliquam elemosynam, ut præmittitur, erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem, sicut in Anno Jubilei visitantibus certas Ecclesias intrâ, & extrâ Urbem prædictam concedi consuevit, tenore præsentium concedimus, & elargimur.

A Navigantibus, & aliis.

§. 3. Navigantes verò, & iter agentes, ut cum primum ad sua sese domicilia receperint, super scriptis peractis, & visitatâ Ecclesiâ Cathedrali, vel Majori, aut Parochiali Loci eorum domicilii, eandem indulgentiam consequi possint, & valeant: Regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in Claustris perpetuò degentibus, necnon aliis quibuscumque tam Laicis, quàm Ecclesiasticis secularibus, vel regularibus, etiam in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua præfata nequiverint, ut illa Confessarius ex jam approbatis à Locorum Ordinariis ante præsentium publicationem, seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque inungere, quæ ipsi penitentes efficere poterunt, panter concedimus, & indulgemus.

Facultas eligendi Confessarium.

§. 4. Insuper omnibus, & singulis Christianis utriusque sexus tam Laicis, quàm Ecclesiasticis secularibus, & regularibus cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti, tam in Urbe præfata, quàm extra eam ubique locorum, ut præfetur, degentibus licentiam concedimus, & facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium tam secularem, quàm cujusvis Ordinis, & Instituti regularem ex approbatis, ut præmittitur, à locorum Ordinariis, qui eos ab excommunicationis, suspensionis, & aliis Ecclesiasticis sententiis, & censuris à jure, vel ab homine quavis causa latis, seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis, quantumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive Nobis, & Sedi Apostolicæ, etiam in literis die Cœnæ Domini legi solitis contentis, & aliis per quacumque Nostros aut Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum Constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientie, & hac vice tantum absolvere, & liberare valeant, & insuper vota quæcunque (religionis, & castitatis exceptis) in alia pia, & salutaria opera commutare, injunctâ tamen eis, & eorum cuilibet in supra dictis omnibus casibus penitentia salutari, aliisque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis.

Confessarii possunt absolvere à reservatis S. Sedi, & Ordinariis.

Commutare vota exceptis Religionis, & Castitatis.

Mandatum Universis Prælati de Jubileo publicando.

§. 5. Quapropter tenore præsentium in virtute sanctæ obedientie distictè præcipimus, atque mandamus omnibus, & quibuscumque Ordinariis locorum ubicumque existentibus, eorumque Vicariis, & Officialibus, vel iis deficientibus, illis, qui curam Animarum exercent, ut cum præsentium litterarum transumpta, aut exempla, etiam impressa, acceperint, illa statim absque ulla more, retardatione, vel impedimento per suas Ecclesias, & Dioeceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, & loca publicent, & publicari faciant, Ecclesiamque, seu Ecclesias visitandas designent.

Vigore Jubilei non intendit dispensare super Irregularitatibus.

§. 6. Non intendimus autem per præsentibus super aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quomodocumque contracta dispensare, vel aliquam fa-

cultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, & in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientie; neque etiam easdem præsentibus iis, qui à Nobis, & Apostolica Sede, vel ab aliquo Prælato, seu Judice Ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias, & censuras incidisse declarati, vel publicè denunciati fuerint, nisi intra tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

Neque suffragari publicè excommunicatis.

Derogationes.

§. 7. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, præsertim quibus facultas absolendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore esistenti referatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles indulgentiarum, & facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, necnon regulâ nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum, & Congregationum, sive Institutorum regularium, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus: Privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, & Institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiam de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro servata habentes, hac vice specialiter, nominatim, & expressè ad effectum præmissorum derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 8. Ut autem præsentibus Nostre, quæ ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilis deveniant, volumus ut earumdem præsentium transumptis, vel exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, ubique locorum & gentium eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Fides transumpti.

Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 8. Decembris 1693. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Dat. 8. Dec. 1693. P. A. 3.

J. F. Card. Albanus.

Anno à Nativitate Domini Nostri JESU Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo tertio, Indictione prima, die verò septima Mensis Decembris, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri, Domini INNOCENTII Divinâ Providentiâ Papa XII. Anno Tertio; Supradictum Breve affixum, & publicatum fuit ad valvas Ecclesiæ Sancti Johannis Lateranensis, Principis Apostolorum, & Sanctæ Mariæ Majoris de Urbe, & in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Joannem Grecum ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Papa Cursorem.

Publicatio in Urbe.

Thomas Orlandus Cursorum Magister.

XLVII.

Concessio nonnullarum Indulgentiarum pro Deputatis, aliisque quocumque nomine nuncupatis Ministris, & Officialibus Hospitiorum Pauperum, ac Congregationum de Charitate nuncupatorum ubivis tam hæcenus erectorum, seu erectarum, quàm in posterum quandoque erigendorum, sive erigendarum.

INNO-